

## §. XV.

Restat, ut iis respondeam, qui ius representationis in successione descendantium iuris diuini vniuersalis praecipiui esse particulam perhibent propterea, quod Hebraeorum etiam legibus illud obtinuit. Vid. supra §. X. Verum licet hae Deum ipsum, sapientissimum omnium legislatorem, auctorem habeant, sunt tamen istae forenses Hebraeorum leges diuinae non vniuersales seu naturales, sed positivae, atque idcirco ad solam iudaicam pertinentes ciuitatem, huiusque tantum contemplatione omnium perfectissimae. Quod vel inde patet, quod successio ab intestato iudaica, etiam liberorum et recta descendantium, sanctionibus institutionisque determinata est, quae rationi naturali minus respondent. Historico genere explicavit satis atque excussum id argumentum doctissimus Anglus, Ioannes Seldenus, in libro singulari de successionibus ad leges Ebraeorum in bona defunctorum. Iuvat ex eo quaedam, quae hoc pertinent, hic delibari. Descendantium, vtut eodem gradu a defuncto distarent patre, apud Ebraeos non vna eademque fuit conditio. Sic filii et filiae non aequo et pari successoris iure gaudebant, sed filiabus non nisi filiis deficientibus extinctisque hereditas paterna deferebatur. Id testatur Seldenus in dicto libro Cap. I. pag. 1. seq. hisce: *Succedunt patri filii et filiae atque ex iis nepotes posterique. Ita tamen ut filiabus filii nunquam non praeponantur. Hisce nimirum non extantibus, neque aliter, illae hereditatem adeunt.* Atqui ratio naturalis, quod attinet ad officia genitorum erga liberos, nullo vult filios filiasue haberi discrimine, quum illi aequae filiarum ac filiorum sint caussa. Et quae de filiorum praerogativa prae filiabus in successione in parentum bona vulgo

Obiectio a  
legibus E-  
braeorum  
desumpta sol-  
uitur. Hae  
iuri naturali  
etiam in de-  
scendantium  
successione non v-  
biuis respon-  
dent. Quod  
exemplo il-  
lustratur fi-  
liarum post  
filios de-  
mum succe-  
dantium in  
na.